



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 13. Tumultus ab Alphonsi copiis in ditone Senensi excitati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

de Augio Gallus Episcopus Constantien-<sup>Sæcul. XV.</sup>  
 sis, Presbyter Cardinalis tit. S. Eusebii, <sup>A.C. 1456.</sup>  
 & Episcopus Portuensis. Sextus denique  
 Æneas Sylvius, Picolomineus Senen-  
 sis, ejusdemque urbis Episcopus, Cardi-  
 nalis tit. S. Eustachii, postea Presbyter  
 tit. S. Sabinæ, qui idem paulo post Pa-  
 pa creatus, & Pius II. est nominatus.

## §. XIII.

*Tumultus ab Alphonsi copiis in statu  
 Senensi excitati.*

Jam ab aliquo tempore tota Italia solida  
 pace fruebatur, ad cujus conservatio-  
 nem non solum summus Pontifex, sed  
 ipse quoque Mediolanensium Dux, Ve-  
 neti, Florentini, atque horum foede-  
 rati omnem conferebant operam, solo  
 Alphonso tranquillitatis serenitatem tur-  
 bare studioso. Non ecquidem statim a-  
 perto Marte rem aggressus est, sed per  
 Piscininum exercitus sui Ducem dissidio-  
 rum Zizania seminare contendit. Hic  
 iniquis artibus Regis sui commoda quæ-  
 rere unice erat sollicitus, hinc in Senen-  
 ses sæpius hostiles conatus exercuit, at-  
 que eorum in agros populabundus excur-  
 rit. Conquerebantur illi apud Alphon-  
 sum de vi sibi illata, sed Rex id a Duce  
 suo, (verius hic iniquorum Alphonsi con-  
 siliorum Minister dici potuisset) recte fa-  
 ctum

*Comment.  
 Pii II. lib. 2.*

*Æn. Sylv.  
 Europ. c. 5.*

Sæcul. XV. A.C. 1456. ctum assererat. Quapropter Dux Mediolanensis, atque Veneti Senensium partes tuendas suscipiunt, & Piscinum cum copiis suis pedem referre compellunt, qui unacum exercitu suo, cum tutioris asylli locum non haberet, Castellonium in Piscara sese recepit. Verum & ibi a Victoribus obsidione cinctus ad tantas redigitur angustias, ut ipsius milites in ediam immaturis frugibus sedare compellerentur, unde gravibus admodum incommodis cruciabantur. In extremo hoc rerum discrimine libertati suæ consulere, omni ope & opera contendunt: nec conatibus felix defuit successus; erumpunt enim, & Orbetellum proditione occupant, ubi fatali victus penuria haud amplius infestabantur, ab unius saltem inimici molestiis liberati. Attamen brevi tempore in nuperum ejusdem miseriæ statum incidissent, nisi Alphonsus tempestitiva ope per mare annonam, ac pecunias advexisset. Verum cum Rex probe cognosceret, quod nec Ducem, nec copias suas periculo eripere posset, nisi cum Senensibus, eorumque foederatis transigaret, hinc ut eos placaret, atque expensas, quas ob concitatos belli tumultus facere compulsi fuissent, compensaret, eisdem bis mille libras numeravit. Instabat quidem Alphonsus, ut Senenses insuper conductos exauctorarent milites, alt

ast furdas pulsabat aures, quocirca spe secul. XV.  
sua delusus, Piscinino præcepit, ut cun- A. C. 1456.  
ctas urbes Senensibus ablatas iisdem  
restitueret.

## §. XIV.

*Controversia de Confessione Paschali.*

Hoc anno Parochorum jura circa confessionem Paschalem hucusque controversa ingenti animorum contentione denuo agitata fuere. His occasionem dedit quædam Nicolai V. Constitutio, quam pro Religiosis Mendicantibus edidit, eisdemque Paschatis quoque tempore fidelium confessiones excipiendi facultatem asseruit, unde jus Parochorum a Canone *Omni utriusque sexus* stabilitum, ac ab ipsa Clementina Constitutione *Dudum* firmatum labefactari credebatur. Parisiensis Academia, cum hanc Bullam a quibusdam Religiosis Carmelitis rerum sacrarum Judici (quem vulgo Officiale appellat) consignatam comperisset, quantocius ab ea provocavit, Fratresque Mendicantes ad diem vigesimam quartam Maji, quæ erat feria secunda, comparere jussit, significans: ni hujus Bullæ privilegio nuntium mittere vellent, ac sponderent, se illius revocationem infra temporis spatium sibi præfigendum procuraturos, scirent, se a totius Academiæ

*Hist. Eccles. Tom. XXVIII.* H h lo-